

EX SUPPLEMENTO.

DISC. LI.

Craffetana, seu Grossetana affectus.

De eadem materia de qua supra, disc. 25. An scilicet, & quantum successerit in Episcopatu, vel Praetura teneatur stare locatio facta per praedecessorem; Et de annorum regulatione.

DISC. LII.

Bononien. Mercedis.

De locatione operarum, & quamnam actio illarum conductori adversus locatorem competat, sive exceptio super denegatione mercedis ob aliquid non implementum in parte.

DISC. LIII.

Romana Domus.

De particulari natura, seu qualitate locationis domorum existentium in ghetto Hebraeorum, & de pluribus ad hanc Judaeorum materiam pertinentibus, & de quorum aliquibus supra, disc. 10. & 13.

INDEX CAUSARUM

Hoc titulo de Locatione, & Conductione.

- A Afflicti affectus, disc. 18.
B Benquetana affectus, disc. 23.
Bojanen. seu Neapolitana affectus, disc. 24.
Bononien. Locationis, disc. 36.
Mercedis, disc. 52.
Bononien. mercium, disc. 11.
Pensionis, disc. 54.
C Craffetana, seu Grossetana affectus, disc. 51.
Cusentina affectus, disc. 47.
E Ferration. affectus, disc. 19.
Computorum, disc. 5.
Desalchi, disc. 42.
M Massana, seu Plumbinen. damnorum, disc. 13.
Mediolanen. disc. 37.
P Perugia remissionis pensionis, disc. 6.
Placentina pecuniaria, disc. 32.
R Ravennaten. affectus, disc. 25.
Romana affectus, seu desalchi, disc. 4.
Affectus magazeni, disc. 49.
Affectus officii, disc. 3.
Apothecae, disc. 15.
Appaltus, disc. 26.
Desalchi, disc. 1.
Romana Desalchi, disc. 55.
Domus, disc. 53.

DISC. LIV.

Bononien. Pensionis.

An conductor petat à locatore remissionem pensionis, vel reductionem damnorum passorum ab ipsis locatoris inimicis, vel aliis ex eius causa.

DISC. LV.

Romana Desalchi.

Ad eandem materiam de qua supra, disc. 3. super remissione pensionis ob prohibitionem eorum, quae de facto fiebant, atque Conductori utilitatem causabant, sed non erant licita.

Et an factum praedecessoris obliget successorum in officio, vel beneficio, cujus ratione facta sit locatio.

DISC. LVI.

Bononien. Locationis.

An unus ex consortibus, inter quos divisa sit per tutum administratio, locare possit rem communem pro tempore cadente sub alterius administratione; Et de Statuto Bononiae super tacita relocatione ob non factam distictam.



JO. BAPTISTAE CARD. DE LUCA

Libri Quarti Pars Prima, DE SERVITUTIBUS PRÆDIALIBUS.

NEAPOLITANA AEDIFICII, SEU ALTIUS NON TOLLENDI

PRO CONVENTU S. SPIRITUS ORDINIS SANCTI DOMINICI

CUM PP. CAMALDULENSIBUS.

Causa decisiva per Rotam pro Conventu S. Spiritus.

De servitute altius non tollendi aedificia, ex quibus tollatur aspectus matris ad Constitutionem Zenonis Imperatoris.

De constitutionibus Graecis non contentis in antiquis Codicibus, sed de novo traductis, & insertis in Codicibus modernis, An habeant vim legum praesertim de dicta Constitutione Zenonis.

De inventione, & usu legum civilium Romanorum juxta compilationem Justiniani, & aliqua de non usu, quando tollat vim legum.

Et de privilegio Religiosorum circa prohibendum aspectum, vel introspetum in eorum Monasteria vel Conventus.

SUMMARIUM.

- 1 Falli series.
2 Cuilibet licet aedificare in suo, & extollere, quamvis vicino prejudicium inferatur.
3 Fallit ubi vicino tollatur aspectus maris ex Constitutione Zenonis Imperatoris.
4 Quod Constitutio Zenonis Imperatoris non sit authentica.
5 An dicta Constitutio Zenonis identitas probetur ex geminata approbatione, quae habetur in corpore juris.
6 Quod generaliter Graecae Constitutiones non existentes in antiquis Codicibus, sed insertae in modernis non habeant vim legis.
7 Derationes, ob quas dictae Constitutiones habende non sunt pro lege.
8 An dicta Constitutio Zenonis sit localis pro sola Urbe Constantinopolitana.
9 De materia non usui legum, & de differentia inter non usum, seu non acceptationem, & usum abrogatum.
10 Inter alia legis requisita est illud, ut à populo sit usu recepta.
11 De legum civilium compilatione, inventione, & usu.
12 Rex Neapolis non recognovit Imperatorem.
13 In dicto Regno prius vivebatur jure Longobardorum, hodie autem vivitur jure Romanorum.
14 De consuetudine Neapolis super facultate aedificandi.
15 Constitutio Zenonis cessat ex contraria conventionione.
Card. de Luca, Lib. IV.

16 Concessionarius non potest aedificium concessum altius tollere in prejudicium concedentis.

17 Leges laicales an obligent Ecclesiasticos, & Ecclesiasticos.

18 Quid in hac materia operetur favor Religionis, & ratio impediendi scandala, & aspectum secularium.

DISC. I.

Concesserunt usque ab anno 1539. Patres Conventus Sancti Spiritus Neapolis Ordinis Praedicatorum cuidam Michaeli de Cola quandam terreni partem praedicti Monasterii viridario contiguam cum domo ibidem existente, sub ea lege, ut nec ipsi, nec eius haeredes in dicto terreno concessio facere valeant aedificia respicientia, seu à quibus haberi possent aspectus ad reliquum Monasterii territorium, nec facere aperturas, nisi ad lumen ingrediendum.

Cum autem, vel ex dictorum PP. permissione, vel ex negligentia, in dicto terreno tractu temporis constructa essent aliqua domus ad laicorum usum, & habitationem, dictique PP. pro eorum dormitorio ampliando, tollendoque introspetum, quem in eorum dormitoriis, & cellis ex dictis domibus patuerunt, quoddam aedificium construere vellent, se opposuerunt PP. Camaldulenses dictarum domuum possessores, à dicto primo concessionario causam habentes, praetendendo aedificium impedire, ex eo quod per illud dictis domibus tolleretur aspectus maris contra dispositionem Constitutionis Zenonis Imperatoris in modernis Codicibus registratae in l. penult. Cod. de aedif. privat. quae Constitutio habetur etiam impressa apud Fenzon. ad Stat. Urbis 104. & apud Rubicum 10. singular. fol. 512. qua tamen oppositio non obstante, Nuncios Apostolicos sententiam tulit aedificare volentibus favorabilem, quam in eadem instantia Auditor Camerae infirmavit. Sed introducta per appellationem causam in Rota coram Celso, sub die 28. April. 1662. prodit resolutio dictis PP. aedificare volentibus favorabilis, ut scilicet ad limites sententiae latae in prima instantia licitum sit aedificare, dec. 37. Celso, & in hoc statu causa reperitur adhuc pendens.

In disputationibus autem de super habitis tam coram A. C. quam in Rota scribentes pro oppositoribus novum opus nunciantibus, non negabant satis notam receptamque regulam aedificare volenti assistentem, & ex parte aedificare volentium deductam, ut (cessante servitute legitime quaesita, vel praescripta, cessante emulatione, quarum neutra in dubio praesumitur) cuique licitum sit aedificare in suo, siumque aedificium extollere ad sydera, quamvis exinde vicino prejudicium inferatur, quoties id principaliter agit, ut sibi proficiat, cum attendatur id, quod principaliter agitur ad commodum facientis, non autem prejudicium, quod alteri accessorie, seu consecutive generatur; ad text. in l. altius, C. de servit. & aqua, per quem ibidem, & alibi ita firmant communiter scribentes, de quibus in specie consimilibus quaestio nis habita in eadem Civitate super aedificio tollente aspectum

etiam maris, Capyc. Latr. decif. 50. & in terminis alterius quaestiones habita inter duos Conventus Religioforum, quorum unus alius adificia extollere volebat, plene Rota in Gerundino, alius non tollendi decif. 587, 596, 599. & 611. part. 5. recent. Multo magis iura ultra juris communis dispositionem, in dicta Civitate ultra particulari consuetudine in scriptis redacta, qua incipit, *Si quis habet parietem, sub titulo de servitutibus*, per quam disponitur, ut relicto congruo spatio, cuique liceat edificare in suo, non curato vicini prauidio.

Infitabant autem in limitatione deducta ex Constitutione Zenonis Imperatoris ad literam id prohibentem, quoties ex huiusmodi edificio tollatur, seu alias impediat delictiosus aspectus maris, de qua Constitutione approbativa mentio habetur in *l. fin. Cod. de edif. privatis*, & in novella 63. *Justiniani*, registrata in §. unico, *auth. de novi oper. nunciat. maritimi aspectus*; Illamque locum habere debere specialiter in dicta Civitate Neapolis, non obstante contrario usui, utpote non bene iustificata, firmari afferant per decisionem illius S. Consilii apud Capyc. Latr. d. decif. 50. & per alteram decisionem illius Regiae Camerae apud Ganaveg. decif. 10. resalutendo eadem fundamenta, quae in allegatis decisionibus habentur deducta.

Scrībent in contrarium pro edificare volentibus, cum sensu etiam veritatis, dicebant iniustum maleque fundatam esse huiusmodi oppositionem, etiam generaliter, & in abstracto, clarius autem in concreto, & in hac facti specie ob particulares eius circumstantias; Ad quod probandum tres constituebam inspectiones; Unam super minus probanti fide, ac apocrypha qualitate dictae Zenoniana Constitutionis per Antonium Continum, alioque modernis traductores in lucem editae; Alteram, quod ubi etiam eius identitas bene probata esset, adhuc tamen, vel quia in antiquis Codicibus iuxta compilationem Justinianam non reperitur registrata, vel ex contrario, quod aliique fundamentis vim legis non haberet; Et tertiam, quod in omnem eventum, ubi etiam generaliter, & indefinite per legem haberetur, adhuc tamen in hac facti specie obque non obstante firma remanere deberet regula, quae adificanti assistit.

Quatenus autem pertinet ad primam inspectionem non bene probate identitatis dictae Constitutionis, quodque illa prout in modernis Codicibus, seu apud Rubicum, Fenozonium, & alios registrata reperitur, non sit authentica, satis evidenter probari dicebam ex varietate traductionum in pluribus editionibus, in quibus diversum initium, seu thema habet ab eo, quod suo matre dedit Antonius Continus, qui eius privata autoritate illam inter leges Codicis iuxta modernas impressiones inseruit, ut ipsemet expressè fateatur in annotatione ad lectorem impressi, apud Fenoz. & Rubicum *locis citatis allegatis*.

Item cum Imperium Orientis ab annis 700. & ultra sub Sancto Leone divisum fuerit à nostro Imperio Occidentis, itaut ab eo tempore haec regio Occidentalis nullam connectionem habuerit cum dicto antiquo Imperio, & quod magis est ab anno 300. & ultra post expugnationem Civitatis Constantinopolitanae dictam Imperium occupatum sit per Turcas, legum ac literarum insensibilissimos, itaut antiqui Romani Imperii Orientalis his partibus occidentalibus reliquiae prorsus evanescerint, non videtur quale sit illud Imperiale registrum, vel authenticum Archivium, à quo Continus aliique huiusmodi moderni traductores istam, & alias Constitutiones desumpserint.

Adversus haec replicabant in contrarium, dictae Constitutionis veritatem comprobatam remanere ex approbativa geminata mentione de illa habita per Justinianum d. novella 63. & in *l. fin. Cod. de edif. privatis*, sed responso non concludit, quoniam vis non est in eo, an per Zenonem edita fuerit, necne Constitutio in materia servitutum, & maritimi aspectus, sed est, an ista sit moderno tempore edita, sit eadem, de qua Justinianus loquitur, ut in proposito habemus de testamento nuncupativo nuncupatione implicita, per relationem scilicet ad schedulam existentem penes tertium, vel in certo loco iuxta formam originatam à Bari. in *l. si ita scripserit, ff. de condit. & demonstr.* quoniam difficultas non est in veritate schedulae in genere, sed est in identitate illius specialis, quae exhibetur, an illa sit eadem, &c. ut in sua materia *sub tit. de testam. & habemus etiam de pluribus chronicis antiquis, praesertim verò de illa Lucii Dextri in Celsa-raugensis Cathedralitatis sub tit. de praesentibus, dist. 13.* non dubitatur enim illum fuisse antiquum scriptorem, ac authorem chronicae, de qua mentionem faciunt S. Hierony-

mus, & caeteri, sed punctus est, an illa chronica, quae moderno tempore traducta, & luci edita fuit, sit eadem non alterata, vel potius sub eo nomine confecta, seu alterata, cum similibus.

Quando autem identitatis praedicta admittenda esset, adhaec tamen, aggrediendo secundam inspectionem, dicebam Constitutionem praedictam nullam vim legis habere, eo modo quo generaliter de istis graecis Constitutionibus non existentibus in antiquis Codicibus, sed moderno tempore traductis, & inseritis firmat Masfrill. decif. 232 n. 35. & 199. Castill. decif. 59 n. 36. & 199. Thes. jun. in addit. ad decif. 182. lit. A. in fine, & in specie istius Constitutionis, Ad den. ad Capyc. Latr. d. decif. 50. num. 19. & seqq. eam enim non haberi testantur Gloss. Angel. & caeteri in dicta *l. finali, Cod. de edif. privatis*.

Merito autem de dictis Constitutionibus noviter traductis & editis ita dicendum est, atque grammaticalis potius, quam legalis eruditioribus effectus censendus est ille Continus, & aliorum modernorum huiusmodi Graecae Constitutiones, & Novellas per Justinianum in Codicibus compilatione neglectas, sive in parte resecatas, nunc privata autoritate in eodem Codice inserentes; Siquidem ipsemet Justinianus in eisdem Codicibus ultima compilatione, quaeque primis tribus eius titulis, scilicet de novo Codice faciendo, de Justiniano Codice confirmando, & de emendatione Codicis expressè profertur multis Constitutionibus, & Novellis suorum Praedecessorum, ac etiam proprias in toto, vel in parte resecasse, ac pro revo-catis, & neglectis habuisset. Igitur errorum fuit huiusmodi Constitutiones tunc bene cognitas, sed neglectas, & resecatas, nunc tanquam leges observandas privata autoritate edere, & in Codice inserere; Si enim, aliquis Pontifex resecatis multis Constitutionibus abrogatis, vel non existentibus in usu, novum Bullarium compilari mandare solum attendendum, utique vanum esset, quod tractu temporis privatus homines antiquas Constitutiones jam neglectas, & resecatas, eodem Bullario tanquam leges addere vellet.

Quod si generaliter procedat in omnibus huiusmodi Constitutionibus ita moderno tempore traductis, & editis; Clarus dicendum est de ista, ex cuius tenore ad literam constat eam esse localem, utpote editam per sola Urbe Constantinopolitana. Et licet Justinianus in *d. final. C. de edif. privatis*, illam extendit ad omnes Civitates, & Provincias Imperio subiectas, nihilominus eisdem extensionis tenore ostendit ita gestum esse in ea parte, in qua disponitur de servitutibus, utpote de materia omnibus Civitatibus, & locis inhabitatis congrua, & communis, non autem circa maritimum aspectum, qui perclarus est Civitatis, & locorum existentium ad oras maritimas, atque potius de iure privilegiorum, quam servitutem continere dicitur, ut advertit Gottfried, in *ead. l. finali, verbo obique terrarum*.

Atque videtur probatur ex duplici clara demonstratione; Prima scilicet, quod de tempore quo emanavit dicta lex extensiva, iam emanaverat altera eisdem Justiniani Constitutione contenta in dict. Novella 63. vel in *auth. de novi operis evenc. maritimi aspectus*, cum ex communi sensu desumpto ex prioribus tribus libris Codicis, certum fit leges Justiniani contentas in Codice esse omnium novissimas, ac posteriores novellis, quae in authentico continentur, unde si Justiniani intento fuisset in *d. final.* etiam de maritimo aspectu loqui, utique de sua etiam Constitutione praedicta mentionem fecisset, ut eius perpetua consuetudo esset; Et altera, quia profertur ex tentionem praedictam facere ad tollendas contrarietates cum legibus antiquis, quarum plurimas habemus loquentes de servitutibus, & adificandi facultate, nullam verò agentem de hoc maritimo aspectu; Accedente quoque viva ratione desumpta ex qualitate situs dictae Urbis Constantinopolitanae, ubi congruè discerni potest fallvo aspectu praedicto, sed hic adificandi modus impracticabilis est in aliis Civitatibus maritimis, quae ut plurimum in planitie constitutae sunt, unde esset absurdum à totius penè Orbis usui, & praxi, reprobatur.

Accedit communis contraria observantia, circa quam nullius ponderis videtur deducta apud Capyc. Latr. d. decif. 50. & in quibus insitabant scientibus per altera parte, negantes legitimum probationem non usufiatae praescripti, quod abrogandae legis vim haberet iuxta generaliter regulas, & propositiones ab eod. Capyc. Latr. deductas; In hoc enim processum videtur cum quovocivo, quoniam aliud est agere de non usufi-tativo, id est quod lex nunquam fuerit usuf recepta, & observata, aliud verò de non usu destructivo legis iam receptae; Primus enim terminus se opponit principio legis, ac operatur, ut illa nunquam talis dici poterit, dum inter alia legis requi-

10 requisita illud est praecipuum, quod per populos acceptata usuf recepta sit ad text. in *l. de legib. capit. in istis, §. leges, 4. dist. Abb. & Felin. in capit. 1. de iureiur. & pace*, & caeteri apud Farin. in *fragm. verb. lex, num. 1. cum seqq. Rovit. super. pragm. to. de extravi. numer. 1.* Alter verò terminus tollit per quamdam contrariam praescriptionem legem iam perfectam, & alias receptam; Unde propterea talis non usuf exigit requisita ponderata apud Capyc. Latr. *ubi sup.* sed fallacia est in applicatione, dum verari dicimus potius in prima specie, quam in secunda, unde propterea non usuf talli iustificatione, non indiget dum non allegatur tanquam praescriptus, seu abrogatus legis clara, & receptae sed tanquam impeditus, ne illa dici possit lex, vel tanquam interpolativa, quod esset localis pro sola Urbe Constantinopolitana, quodque dicta Justiniana extensio de servitutibus communibus intelligenda esset, non autem de isto delicis privilegio, ut supra; magna enim differentia est inter observantiam praescriptivam, ac interpretativam, illa enim exigit omnia praescriptionis requisita, ita verò secus, juxta distinctionem, de qua per Barbof. in *l. post dotem, n. 47. cum seqq. solut. matrim. dec. 319. & 351. p. 6. rec. & passim*.

Practerea quoad hunc non usuf, alius legalem historiam reassumendo advertendum, quod licet de mandato Justiniani Imperatoris per Tribonianum, Theophilum, & Dorotheum circa annos Domini 529. ad 536. legum civilium compilatio prodierit, ut constat ex Oloandi temporanea digestionem impressa *post. C. & ex aliis diligenter reassumptis per Harpre-cin in proem. Instit. ex n. 4. ad 20. nihilominus de eo tempore ob Gorhorum, & Vandalorum incurfiones, satis modica erat Imperatoris potestas in Italia aliusque Provincias adiacentibus, illaque modica, quam ex Narsetis, & Belisarii eius Ducum opera habuit circa eisdem Justinianum finem cessavit ob novam incurfionem Longobardorum, qui Italiae longam dominationem obtinuerunt; Unde propterea dictae leges ita compilatae, licet ad has partes traductae, at tamen, vel nunquam receptae fuerunt, vel ob diversas dominationes abollite, itaut per septem circiter saecula praesertim in Italia, illarum notitia, vel observantia desierit, populi autem vixerint, vel cum legibus Longobardorum, vel cum iuribus municipalibus singulorum locorum usque ad annum 1130. five aliam opinionem 1148. quoad per Classen Pisanorum casualiter istarum legum corpus inventum fuit in exidio Amalphitanum Civitatis, ad quam incertum est, an illud introductam esset de temporibus Justiniani, vel potius evectum moderniori tempore per Amalphitanos mercatores, Illas Orientales partes nimirum frequentantes, ut liquet ex Baro. Tarcagnot. aliique Chronistis, & ex nostris Borrell. de *praesent. Res. Catholici cap. 78. n. 26. ad finem*, & Valentin. Forster. in *Histor. jur. civ. lib. 3. inter tract. mag. sem. 1. fol. 54. column. 1. de loco tamen inventionis mentionem non faciens*.*

Qua inventio sequuta, cum ex opere *trieris*, aliorumque illius saeculi eruditiorum, leges praedictae, cum aliqua emendatione, vel supplemento in partibus per tineas corrosis editae essent, populi, a finibus Longobardorum, vel ineptis municipalibus legibus vivere effluerit, videntes istas adeo rationabiles, & bene ordinatas paulatim eas usuf recipere ceperunt, itaut non ex autoritate Justiniani Imperatoris, ut alii quidam credunt, sed ex dicto moderno voluntariis populorum usu dictas leges hodie habeant, & ex quibus ad Hispanias quoque exemplis transmissis, Ferdinandus nuncupatus Sanctus, & Alphonsus eius filius; cognomento Sapiens Reges Hispaniarum leges paritarem composuerunt.

Hinc proinde resultat, quod usuf praedictis restringendus est ad illas leges, quae tunc reperte fuerunt, & iuxta antiquas Digestorum, & Codicis editiones, potissimè dum etiam plures leges in eisdem antiquis Codicibus existentes videmus de facto usuf non receptas, ergo tota vis est in usu.

Et quamvis plerique velint, praesertim Forsterius ubi supra post editionem praedictam prodidisse edictum Lotharii Imperatoris super eorumdem legum observantia; At tamen quicquid sic de eius veritate, trahi non potest nisi ad eas leges tunc repertas, de quibus ipse sentit, & de quibus etiam intelligendum venit Decretum Pontificum in cap. 1. de *nov. oper. nunciat. cum concord. per gloss. ibidem*, cum animus trahi non possit ad ignorata, & tunc non extantia.

Clarius verò in dicta Civitate, & Regno Neapolitano, quod tunc Siciliae, deinde post divisionem Infulae dictum est Regnum Apuliae, ubi dictum Lotharii Edictum nullam vim habuit, cum receptum sit illius Regni Regem in nihil recognoferet Imperatorem, ut bene probat Borrell. d. *tract. de Praesent. Res. Catholici c. 47. n. 13. cum seqq.* Dictarumque le-

11 gum usuf generalis est satis modernus, cum ante duo ultima saecula, & apud antiquos Regnicolas recepta esset propositio, quod ubi generaliter viveatur iure Longobardorum potius, quam iure communi Romanorum, nisi specialis usuf istarum legum in loco probatur; Apud modernos verò, & à modernis temporibus prodit contraria propositio, ut scilicet generaliter vivi praevallatur iure Romanorum, nisi probetur specialiter in loco vivit illo Longobardorum, ut constat ex deductis per Minadom. *conf. 1. n. 27. & conf. 12. n. 15. & in Constitutione in aliquibus in princ. n. 59. Fab. de Ann. conf. 28. n. 11. & seqq. Galeo. lib. 2. contr. 1. & 12. Capyc. Latr. conf. 3. Annichin. de praev. c. 1. q. 3. ex n. 86. & alios*.

Fortitius autem, ac indubitanter in ipsamet Civitate Neapolis ob dictam ejus particularem consuetudinem in scriptis redactam, per quam abque hujusmodi restrictione indefinite conceditur facultas alius extollendi propria edifica, relicto solem congruo spatio, & tamen vix in ista Civitate huiusmodi facultas abque iure praescriptionis requisita, ita verò secus, juxta distinctionem, de qua per Barbof. in *l. post dotem, n. 47. cum seqq. solut. matrim. dec. 319. & 351. p. 6. rec. & passim*.

Unde propterea non levem admirationem mihi tribuerebat, quod ita leviter & cum solis regulis generalibus super legum non usuf procederet in casu disputato in Sac. Consilio, de quo Capyc. Latr. *dicta decif. 50.* cum tunc in ea Civitate S. holaris scirem illius disputationem ob novitatem fuisse celeberrimam, itaut omnium serè illius temporis Advocatorum, & Curialium ingenia exercerit. Decisionem autem praedictam, prout & alteram apud Ganaveg. *decif. 10.* ex motivo potius emulationis aliique particularibus facti circumstantiis prodidisse testantur Ad den. ad Capyc. Latr. *decif. 50.* qui & converso plures referunt contrarias determinationes.

Caeterum quando super his ita generaliter, & abstractè sumptis aliqua cadere discussus; Illam (affumendo tertiam inspectionem) penitus cessare dicebam in hac facti specie ex eius individuis circumstantiis; Primò scilicet, quia in eadem Zenonia Constitutione expressè disponitur, secus dicendum esse, ubi leges particularis conventionis observaret, & hic erat casus, dum iuxta facti seriem, in concessio de ista lex adjecta erat, ne in situ concessio ita adificari possit, quod ita concedenti serviret, vel praevicium causeret, quod etiam de iure subintelligitur, ut bene Castr. *conf. 48. lib. 3.* ubi quod facta concessio aliius situs, vel domus de praescriptis prope domum concedentis non potest concessionarius alius elevandi facultatem alias de iure generaliter competentem in concedentis praevicium cum nota ingratitudinis exercere, cum concessio facta censetur rebus in eo sita permanere debentibus, ac sub tali servitute ita implicitè per concedentem constituta, sequuntur Cyriac. *contro. 28. m. 11. & seqq. Andreol. in Add. ad Cepoll. post contro. p. 3. vers. de serv. ne summius*, & habetur *disc. seqq. Unde partibus illis Religiosis quod concessionarius in situ concessio adificaret praeter sibi attributam facultatem, ad operari quidem potuit tacitam dispensationem, ob quam praeterea non possit demolitio adificii facti contra legem concessionis, non autem, ut exinde resularet passiva servituti impediens elevationem in proprio*.

Secundò quia ubi etiam dicta Zenoniana Constitutio recipienda esset tanquam lex Imperialis ubique servanda, adhuc tamen cum sit laicalis, ex defectu potestatis non afficit Ecclesias, & loca Ecclesiastica, ne uiam naturalem libertatem in proprio exerceat possent, ad text. in *auth. collata, & irrita, Cod. de sacrosanct. Eccle. & per Canonistas in cap. Ecclesia S. Mariae de Constitutionibus*; Licet enim per Sacros Canones in cap. 2. de *nov. oper. nunc.* & alibi disponatur, ut cessante canonum repugnanti leges civiles attendi debeant, unde prodit, quod ius in foro etiam Ecclesiastico attenduntur, atque sunt etiam Ecclesiasticorum obligatorii; Nihilominus ut supra dictum est, dicta canonica dispositio tamen non potest ad istam legem tunc Papae ignotam, atque adhaerentiam non prodiam.

Tertio clarius, quia non agebatur de simplici edificio, pro quo ad dictam legem evitandam allegaretur sola exemptione ratione jurisdictionis, sed agebatur de illo constructo

do pro iusta, imò necessaria causa tollendi acti-
um, & passivum aspectum, seu introspetum in claustra, & cellas Re-
ligiosorum. Si enim pro Monasteriis, & pijs locis con-
struendis, ampliandis, vel alias ad meliorem religiosam
formam redigendis, licitum est contra iuris generalem dis-
positionem cogere dominum invitum ad rei suæ venditi-
onem, ad not. in l. si quis sepulchrum, ff. de relig. & sumpt. fu-
ner. ut sepul in hoc eod. tit. ad materiam retractus deductum
habetur. Multò magis istis Religiosis concedendum esse dice-
batur, ut remoto dicto accidentalì impedimento limitati-
vè regulæ generalis, licitum esse deberet ædificare in suo; Cum
legi, rationis, honestati, ac religioni principaliter adver-
sari videatur, ut pro concedendo laicis delicias habendi as-
pectum maris, impediri debeat Religiosi claustrales, ne scan-
dalis consulant, atque laicorum aspectum, seu introspetum
acti-um & passivum non tollant.

Ponderabam demum controversam esse inter DD. an
privilegium de iure competens Monasteriis Monialium cogendi
vicinos ad claudendas fenestras, seu alias elevandi, vel
demolendi prout ædificia, & de quo eodem titulo
pluries, competetiam Monasteriis, & domibus Religio-
sorum, & affirmativam viderem latè probat Rovit,
decis. 92. numer. 7. & per tot. ubi satis probabilia expoduntur
fundamenta, quoties præsertim agitur de domibus condu-
ctitiis inhabitatis solitis populo minuto, & mulieribus,
ex quibus de facili scandalum resultare potest, quod admitti
etiam videtur per Rot. apud Burat. decis. 631. num. 22. Unde
quidquid sic de hoc; quoties ageretur de puncto exorbi-
tantiæ, & correctorio generalis dispositionis iuris cogendi
scilicet dominum ad claudendas proprias fenestras, seu aliud
præiudicium patiendi in suo, aut tamen istud motivum vide-
tur irrefragabile ad hunc effectum faciendi cessare dictam
limitationem, atque concedendi ipsimet Religiosis, ut in
suo ædificare possint, atque ita scanda-losam servitutem evita-
rent, itam omnibus præmissis in sum ponderatis casus re-
manere videtur omnino planus, ideoque reflectendo etiam
ad solam veritatem, dicta resolutio Rotæ, iusta beneque
fundata visa est.

S U M M A R I U M.

- 1 De casu controverso.
- 2 Quod reflecti debeat ad historiam legalem.
- 3 De censura historice legalis.
- 4 De Codice Alarici.
- 5 De aliquibus erroribus Germanorum.
- 6 De legum Civilium inventionibus, & de dicto Codice Alarici, & quomodo dictarum legum usus habeatur.
- 7 Ad quid referat de his inspicere.
- 8 De diversis speciebus legum particularium.
- 9 De diversis legibus Hispaniarum, & de opere moderno, quod Basilicorum dicitur.
- 10 Quomodo procedi debeat in materia alius non tollendi.

ANNOT. AD DISC. I.

1 Super casu præciso contento in præsentì discursu in mate-
ria iuris prohibendi ædificium vicino, ob aspectum ma-
ris, occasio non dedit ulterius disputare, vel quia causa con-
cordata sit; Vel quod succumbentes acquirerint resolutio-
nem; Aut quod mutaverint defensores, neque est mate-
ria, de qua frequenter in foro disputare contingat.
2 Quatenus verò pertinet ad historiam legalem, in hoc dis-
cursu recentiam, nimirum frequenter in omni ferè ma-
ria insinuata, & merito, cum semper tam à Iudicibus, quam
Consultentibus præ oculis habenda sit pro congrua legum
intelligentia, & applicatione, ut præsertim generaliter
advertitur, disc. 35. de iudic.
3 Cum præsertim eam deduxissent in casu, de quo sub tit. de
Regal. disc. 161. super questione confiscationis resultantis à
crimine læsæ Majestatis humane; Hinc aliqui scribentes in
contrarium, circa istam historiam desumptam ex Valentino
Foresterio, & aliis, cum redargueret fatigabant tanquam man-
cam, minime veridicam, tum in eo præsupposito, quod
Imperius fuerit Comitissæ Mathildæ in Italia Consultatus,
dom ejus opus circa leges fuerit compositum circa annum
1137. dictam verò Comitissam volum. Chronistæ obisse de
anno 1116. num. etiam referendo Codicem Alarici, ut aliqui
volunt, seu recessum iuris juxta aliorum opinionem, Regis
Gothorum, quem receperunt Carolus Clodoveus, alique Re-
ges Galliarum, ac etiam Carolum Magnum, alique Imperato-
res Occidentis, juxta enarrationes desumptas ex quibusdam
Germanis scriptoribus, vel præsertim ex Jo. Sithman. in spe-

cul. Imper. Roman. c. 24. & Anton. Francic. Passer. in pondro-
ni Justinian. p. 3. s. 4. l. 3.

Ad eque dicti scribentes procedebat cum consueta Prag-
maticorum leguleia simplicitate, attendendi totum id, quod
scriptum reperitur ad litteram, quod cum præfati, ac alii præ-
sertim Germani, hodiernam legum civilium observantiam
deserant edito Lotharii fecundi Imperatoris, ut in discursu
advertitur; Ac etiam excusabiles quidem asserant, legum
juventutem sequantur esse in exilio Civitatis Melphæ in
Apulia, ipsi, quamvis Itali, atque versantes in Romana Curia,
tanquam fideles transcripserunt, utrumque assumptum
admittebant, non advertentes in utroque ad æquivocum
clarum circa primum assumptum, quod scilicet in Italia, &
præsertim in statu Ecclesiastico, & in utriusque Siciliæ Re-
gnis, id sit omnino erroneum, ut in disc. advertitur, & circa
secundum, quod alia sit Civitas Amalphæ adoras maris
Mediterranæ inter Neapolim, & Salernum, ubi B. Andree
Apostoli corpus asseveratur, cujus mentio habetur sub tit. de
seud. disc. 18. Et alia sit Civitas Melphæ in Provincia Lucania
remota à mari Mediterraneo quinque circiter diætiis le-
galibus potius versus mare Hadriaticum per duas circiter
diætiis legales super quodam colle, ex reliquiis frontis appen-
dini ab Ausido, & cujus mentio habetur tit. de Præmi-
nent. disc. 35. & tit. de benef. disc. 55. Ad quos errores adverti-
tur, non quidem ad aliquam eorumdem scripturam notam,
seu censuram, sed ad posteritatis salutarem monitionem, ut ita
addiscant auctoritates bene ponderare, non autem in caeca
fide cum transcripitionum traditionibus ambulare.

Advertebam tamen, quod prædictæ censuræ (quidquid
sit de earum subsistentia) nil faciunt ad rem, sive nil ad effe-
ctum, ad quem de hac historia agebatur, congruit, quoniam,
an Imperius fuerit necne Consiliarius Comitissæ Mathildæ;
Et an leges accomodaverit ex Codicibus repetitis in exilio
Amalphitano, vel potius eos habuerit in Constantino-
politana Civitate, vel in Ravennatensi, sive aliunde, & an idem
quodam sit anno 1137. vel anno 1150. id nil refert pro effe-
ctu, de quo agitur, dum sive una, sive altera teneatur opio-
nio, effectus est idem.

Et quoad Codicem Alarici, receptum quoque per Re-
ges Gallorum, vel per antiquos Occidentis Imperatores, id
pariter nil ad rem facit, quoniam (quidquid sic de hoc, illud
est certum, quod corpus Juris civilis juxta compilationem
Justiniani, quod hodie servavimus tanquam jus commune, ha-
berit originem, & statum recentium in hoc discursu, ideoque
resultant effectus ibidem recentissimi, ac etiam sub tit. de feud.
disc. 2. & 36. & tit. de Regal. d. disc. 161. & alibi pluries, quod
scilicet istæ leges attendendæ non sint ex antiqua Imperato-
ris Romani magis ampla auctoritate, quæ in magna or-
bis parte erat, atque unum Imperium, unumque Principatu-
m constituebat; minimeque cum illis tunc vigentibus dis-
tinctionibus inter jus vetus, ac novum, & novissimum, sive
inter jus scriptum, & æquatum Prætoris, cum similibus
distinctionibus, seu veriis antiquis superstitionibus, quas
(commendabiliter quidem) nostri majores, & primi Inter-
pretes in scholis ponderarunt pro notitia terminorum, re-
ctaque intelligentia, & conciliatione legum ad juventutem
scientificè instruendam, damnabiliter tamen applicamus foro
in causarum decisionibus, quoniam totum jus contentum
in corpore Digestorum, Codicis, & Authentico-um, apud
nos dicendum venit contemporaneum, atque uno eodem-
que tempore natum ex nunc, post inventionem, ac receptio-
nem ejus, delumendo initium, quod neque est uniforme,
dum juxta varias regiones, vel principatus, est diversum,
quia in uno principatu, citius, & in altero longè serius, usu
receptum sit, ut præsertim verificatur in casu, de quo agitur
in hoc discursu, in Regno scilicet Neapolitano, quod in eo
recentissimè à duobus circiter sæculis haberi cepit tanquam
jus commune, dum prius commune reputabatur illud Longo-
bardorum, istud verò Romanorum erat locale, vel consu-
tudinarium, cujus oppositum hodie sequitur, atque in
aliquibus partibus adhuc neque receptum est, ut præsertim
in Civitate Veneriarum; ideoque isti impropiè dicitur jus
commune per quemdam modum loquendi, cum proprie sit
jus particularare, & discretum quouslibet principatus, ex sola
proprie Principis explicita, vel implicita auctoritate.

Nimirum autem refert id inspicere, ad plures effectus re-
centissimos in hoc discursu, & d. disc. 161. de Regal. disc. 2. & 36.
de feud. & disc. 10. de Legum. & detra. & alibi pluries, præ-
sertim verò, & frequentius sub tit. de success. disc. 1. & in aliis,
ubi est Sedes statutorum, & legum municipalium, pro istam
intelligentiam, & congrua applicatione, reflectendo ad
plures enunciatas distinctiones, seu diversas earundem
legum

legum particularium, seu municipalium species, vel quali-
tates, adeo ut clarus dignoscatur error, (nimirum tamen fre-
quens, & penè communis) eas pariformiter, & cum eisdem
terminis attendere.

Siquidem, ut etiam advertitur disc. 35. de iudic. & alibi,
aliam esse principatus, pro eo in universum edita à proprio
Principe, & hæc editio est communis, favorabilis potius,
quam exorbitans, & odiosa; alia verò est lex mere localis
illius Civitatis, vel loci, cui proprie convenit nomen, seu
terminus legis municipalis, & pariter erroneum est pro-
cedere cum generalitatibus, dum reflectendo venis, an illa sit
Civitas libera, vel subdita, ut primo casu in ejus territorio sit
eisdem naturæ, qualis ut supra, est lex principatus; In altero
autem Civitatis subdite, adhuc reflectendum est ad tempus,
in quo illa edita fuerit; dum edita potuit de tempore, quo illa
se gerebat pro libera cum iuribus principatus, ut pluries de
aliquibus Italia non subditis insinuat præsertim tit. de feud.
disc. 3. & 63. quoniam si ea obveniente, vel redeunte in sub-
jectionem alicujus Principis, iste mandet continuari in ob-
servantia propriam legum jam editarum, in tali statu, tunc
iste potius dicendus erunt leges Civitatis liberæ, vel Principis;
non autem merè municipales, & statutarie Civitatis
subditæ, eo modo ex. gr. quo habemus de legibus, & decre-
tis Antiquorum Ducum Ferrarise, & Urbini; in quarum usu
ex Apostolicis Constitutionibus continuatur, ex insinuat
sub tit. de donat. disc. 2. & alibi; quoniam dici debent hodie
servantur, cum similibus, & ique nimirum ponderandum
videtur pro interpretatione aliquorum statutorum Bononiæ,
Perusii, Firmi, & aliarum consilium Civitatum; quæ
aliquibus temporibus pro Republica se gesserunt, quatenus
eo tempore ordinata sint.

In Civitatibus autem, vel locis, quæ de tempore editionis
erant omnino subditæ, atque facultatem non haberent con-
cedendi leges, atque communes destruendi, tunc verè, & prop-
riè intrant termini statutorum, seu legum municipalium
cum distinctione exorbitantium, & non exorbitantium, &
cum altera distinctione circa qualitatem confirmationis
proprie Principis, an sit in forma communi, vel specialis, sive
an sit expressa, vel præsumpta juxta distinctiones, de quibus
ead. disc. 35. de iudic. & pluries sub tit. de success. ab intest. ubi
est effectus materia.

Et nihilominus, etiam in isto casu reflectendum est ad tem-
pus, ut editionis, an scilicet sit lex moderna, edita postquam
jam in loco vigeat, atque usi receptum fuerat dictum jus
civile Romanorum, quod commune dicimus, adeo ut veritè
fuerit terminus correctionis, & exorbitantia; vel potius
proderit antequam in ea Regione dictum jus receptum
fuerit, cum tunc præfati juris Civilis receptio intelligenda
veniat in illis partibus, in quibus propriis legibus, vel mo-
ribus non repugnet, sive quod sit circa illa tempora, vel in ista
introductionis pro declaratione animi illud non recipiendi
in ea parte, sed continuandi cum propriis moribus, juxta
considerationes in hoc discursu contentas, ac etiam disc. 1.
& leg. de success. ab intest. inter non usum, vel contrarium
usum destr. civium juris jam recepti, & vigentis; & alterum
impeditivum receptionis, & qui ejus initio se opponat, ob
maximas differentias inter unum casum, & alterum; ideo-
que ad has distinctiones reflectendum omnino videtur, non
autem more procedum, vel avium procedendo in sola litera
aliquarum generalium propositionum, vel traditionum, quæ
in materia statutorum, & legum municipalium, vel respecti-
vè juris communis circumferuntur, cum exinde tot confu-
siones, & æquivocæ procedant.

Item circa dictum Codicem Alarici, ad emulacionem po-
tius Justinianei Codicis compilatum esse; & advertendum quo-
que venit, ne incidatur in æquivocum, quod aliud est iste anti-
quus Codex ordinatus per Dominantes in Hispania citeriori
versus Pyrenæos constitutus in toto, vel in parte Coronæ
Aragonis, ex quo derivantur illæ leges, quæ ibi dicuntur de los
ferros; & aliud sunt illæ leges Hispanie ulterioris versus O-
ceanum regionum constitutum in toto, vel in parte Coronæ
Castellæ, & Legionis, juxta divisionem, de qua sub tit.
de præminent. disc. 29. & alibi, & quæ appellantur de las par-
tiadas; super quibus commendabiles glossas ediderunt Lopez,
& alii, quoniam istæ sunt leges moderne, non deviantes à
præfato Codice Gotico, sed potius à pandectis, & forsan
etiam Codice Justiniano post dictam modernam inventio-
nem, quod scilicet ex eis de mandato, vel Regis Ferdinandi,
qui nuncupatur Sanctus, vel Regis Alphonsi ejus filius, qui
nuncupatur Sapiens, vel utriusque, ille per quandam litera-

Card. de Luca, Lib. IV.

lem translationem de uno idiomate in alterum cum modica
alteratione ordinata fuerunt, ac propterea notabilis diffe-
rentia est inter unam, & alteram legum speciem, atque de pri-
ma fit mentio per Rot. dec. 27. p. 1. rec. n. 8. & de altera Franch.
dec. 378. n. 147. Molin. de primos. lib. 3. c. 6. n. 24. & c. 7. n. 17. Ga-
lco. lib. 1. controv. c. 48. & alii, ut propterea in casibus dubiis
Interpretari liceat nostras leges Romanorum, cum dictis le-
gibus partitarum Hispaniæ; & conversò illas cum nostris,
quod non congruit dictis legibus fori; atque in hoc etiam di-
gnoscitur Collectorum, seu Pragmaticorum error loquendi
indefinitè de legibus Hispaniarum, non distinguendo anti-
quiores fori, moderniores partitarum, & alios recentiores
quæ dicuntur Tauri, sive novæ recopilationis, ut potè per
Pragmat. in dies editas, enunciatas d. disc. 161. de Regal. disc.
7. & 13. de fidei comm. & alibi sæpius.

Moderno item tempore de anno 1647. in Parisiensi Civi-
tate cum magna diligentia, magnoque impetu impressum est
opus plurium voluminum, quod Baucorum, vel Basilico-
rum libri utraque græca, & latina lingua ex variis fragmen-
tis, plurium quingenta eruditionis in utraq; lingua, & in lega-
li facultate virorum notis desumptum, præsertim Cujacii,
Antonii Contii, Gothofredi, & similibus, qui cum nimium
accurata diligentia, & eruditione recentur per amicum
meum Suardium Episcopum Valoniensem in Basilicorum
notitia Urb. VIII. directæ, initio dicti operis registrata. Ver-
um istud opus nimirum quædam commendatione dignum est
pro eruditione professorum, & Academicorum pabulo, ac
satisfactione, sed quoad forum practicum inutile, quoniam
cum Imperatorum Orientis auctoritas in nostra Europa
Occidentali præsertim post erectionem Imperii Occidentis
omnino abolita esset, hinc non videtur ad quid istud opus,
inutile quoque in iis legibus, quæ ante dictum Justinianum
reformationem, vel compilationem inventæ, atque in mo-
dernioribus Codicibus insertæ sunt, ex rationibus, de quibus
in discursu. Potissimè verò, quia ut advertitur in fine discursus
italico idiomate editi super defensione lingue naturalis,
vel matris regestrato post librum, de Episcopo practico, ex de-
cem partibus illius juris, quo hodie in foro vivitur, vix duæ
sunt, quæ in mere jure civili Imperiali consistant. Ad illam
verò effectum proficuum pro foro practico in causarum deci-
sionibus censendum est opus, ad quem superius insinuatum
est, leges fori, vel partitarum Hispaniæ extra illas dices at-
tendi debere, pro interpretatione scilicet in iis casibus, in
quibus nostræ vulgare editionis leges dubie sint, vel ubi casus
ab eis omissus dici valeat.

JANUEN. ALTIUS NON TOLLENDI, SEU NE
LUMINIBUS OFFICIATUR,
PRO MARCHIONISSA HIERONYMA DE
AURIA SPINULA
CUM LAZARO MARIA DE AURIA.
Casus disputatus coram Delegatis à Senatu Januen.
& decisus pro Marchionissa.

An & quando vicinus prohibere possit vicino ædifi-
care in proprio solo, suamque domum altius ex-
tollere, ne ejus domus luminibus officiatur, vel
impediatur aspectus.

S U M M A R I U M.

- 1 Facti series.
- 2 De facultate altius elevandi propriam domum, atque ita observandi fenestras domus eminentioris existentes in muro laterali.
- 3 De usu juris communis, vel divisiarii aræarum, quando liceat illum elevare, ac desuper ædificare.
- 4 Quomodo procedendum sit circa doctrinas, seu auctoritates in iudicando, & consulendo.
- 5 De altius elevando domum propriam ex conspectu alterius domus via publica intermedia.
- 6 De ædificio quod præjudicat aspectui maris remissivo.
- 7 De ædificio faciendo in propria aræa, seu aræo per ædifi-
cante ædificio adjacenti in luminibus, seu aliis.
- 8 De spatio relinquendo inter unam ædificium, & alterum
juxta Constitutionem Zenonis.
- 9 De regula latusus quilibet ædificare possit in suo.
- 10 Et non attenditur lapsus temporis in materia facultatis.
- 11 Servitus probari potest etiam per presumptiones, & admi-
nicula.

- 12 *Materia conjecturalis quomodo regulanda sit.*
- 13 *Resolutio casus.*
- 14 *Ponderatur conjectura, & adminicula ad probationem servitutis.*
- 15 *Solent consuetudines conspicias domus curare, ut alia domus adiacentes non possint elevare.*
- 16 *Non licet in proprio construere in praedictum ejus, qui concessit solum.*
- 17 *Quid in hoc disponat statutum Janua.*
- 18 *De statu Mediolani in hac materia presumenda servitutis.*
- 19 *Leges, vel consuetudines unius Provincia, vel Civitatis attendi debent in interpretatione, seu etiam in casibus non decisus in iure.*
- 20 *An volens construere palatium, seu nobile aedificium, possit de jure cogere vicinum ad subvendendam arcem, vel domum.*

DISC. II.

Inter conspiciam domum Hieronymae de Auria Spinula Marchionis de los Balbastes, ac domum Lazari Matiae de Auria, in Civitate Januae, ad quaedam arca, seu vacuum sub dominio, & possessione Lazari Matiae, quo volente quoddam aedificium pro ejus domus ampliatione, vel commoditate construere, quod notabile praedictum praefatae domui Marchionis causa facta circa lumina, quam circa aspectum, & prospectum, ac etiam de eodem, ipsa se opponente, commissaque per Senatorem Januam, causa quibusdam specialiter Delegatis, cum utriusque defensores suo calamo hinc inde scripsissent, hinc hujusmodi scriptis ad Urbem transmissis, ex parte d. Marchionis f. consilium fuit, nemum pro eorum defensione, sed etiam de proprio iudicio ad veritatem, cumque ex autoritatibus hinc inde copiose cumulatim inspicere processum esse cum aliquo aequivo, allegando ad istum casum autoritates alios facti diversos percutientes; idcirco ad veritatem eruendam, desuper respondendo, dicebam plures casus in hac materia distinguendos esse, ac successive distinguendas autoritates, quarum aliqua unum percutientes, incongrue alteri applicantur, atque in faciliorem controversiam decisionem reddi posse.

Primus igitur casus est, ubi agitur de duobus aedificiis jure communitatis, mediantem muro laterali utriusque domus, signa ac tecta solubilitate, quorum unum eminentiora altero struaturam habeat, unde propterea in parte supereminente dicti muri lateralis, respondente supra tectum aedificii depressioris, habens alterum magis elevatum, ibi habeat fenestras, vicinus autem domus aedificii depressioris intendit illud altius elevare, atque ita dictas fenestras, & lumina obcurare, & de isto casu loquitur Jafon. conf. 98. lib. 1. Honded. conf. 80. lib. 1. Sperell. dec. 54. & 56. Thomat. decif. 119. Rot. apud Duran. decif. 450. quae reputatur in hac materia magistralis, atque de eodem casu loquitur statutum Janua lib. 6. cap. 13. quod in hac parte concordat cum statu Urbis 107. & cum altero Mediolani 335. p. 2.

Isto casu regula affert domino aedificii depressioris illud elevare volenti, non curato praedictum alterius vicini utentis muro laterali, saltem habitualiiter communi, praeter suum connaturalem usum, juxta firmata in praemissis autoritatibus. Quae tamen regula plures recipit limitationes, ac declarationes, quarum aliquae insinuantur in Camerinen, in Romana domus pro Beccia S. Blasii. dif. 4. & 11. & in aliis, hoc eod. tit. in quibus in specie agitur de isto casu, ab illo tamen praesentis controversiae extraneae, & consequenter extraneae debent omnes praemissas autoritates, super quibus, earumque intelligentiam, & praesertim super d. decif. 450. Durani, nihilum hinc inde certatur.

Alter casus est, ubi agitur de muro utriusque aedificii arcem, vel curiam, seu hortum dividente, super quo unus ex vicinis, altero invito, novum opus construere intendat, murum praedictum altius elevandi, ejusque consuetum statum immutandi, unde propterea alteri vicino, vel circa lumina, vel circa aspectum, seu prospectum praedictum resolutur, & de hoc proinde agunt, post antiquiores ab eis relatos, Borf. conf. 57. & 58. Theaur. decif. 23. & 41. Menoch. conf. 1237. Sperell. dec. 54. & 56. bene Rovit. dec. 30. ac etiam votum Cameræ impressum inter decisiones Rot. decif. 253. p. 7. rec. ac alii, de quibus infra in Pisaurum. muri dif. 6. ubi in specie de isto casu, in quo ut patet ex ibi deductis, quamvis Doctorum nimum centent, decisio pendet ex circumstantiis facti, cujus potius quam juris quaestio esse videtur, an scilicet murus de sui natura fit aptus ad aedificium, vel potius simpliciter destinatus ad arcem divisionem,

Et nihilominus etiam in uno, vel altero casu, refranatum non est iudicis arbitrium ex facti qualitate & circumstantiis egredi juris regulas, quae novum opus permittere, vel prohibere, potissime verò in Urbe, ubi tam ex statuto 107. quam latius ex conf. 22. Gregorii XIII. vicino amplior facultas tribuitur utendi quocumque muro vicini, ut pluries hoc eod. tit. de isto casu specialiter agitur; sed pariter istae autoritates, quae in consilio cum praecedentibus, & sequentibus cumulantur, extraneae remaneant ad praesentem controversiam; unde propterea verificatur id quod mea est dicendi consuetudo, quod scilicet tota vis ac doctrina iudicantis, vel consulentis consistit in bene distinguendo triticum a palea, sive unam speciem frugum ab altera, cum frequens videatur modernorum abusus consarcinandi autoritates, illisque integras columnas implendi, nullatenus cogitando ad congruum, vel incongruum applicationem; & idem quidquid fit de isto casu, supervacaneum erat illum examinare utpote extraneum.

Tertius casus est, ubi agitur de duobus aedificiis de conspectu existentibus, cum via, seu alio spatio publico intermedio, quorum unum, juxta antiquum statum, structuram altero eminentiorem habeat, dominus autem alterius depressioris intendit istud ad aequalitatem elevare, & ex qua elevatione resulat alterius praedictum, vel circa lumina, vel circa ventos salubres, aut aspectum maris, seu prospectum, cum similibus, & de hoc caeteris antiquioribus allegatis agunt Buratt. & Aden. decif. 671. late Rubens in singular. tom. 1. circa decisiones Pirovani, fol. 509. & seqq. Rot. decif. 587. 196. 599. & 611. p. 5. rec. & occasione aspectus maris apud Capyc. Latr. & add. decif. 50. apud Celsum decif. 375. cum aliis, de quibus in Neapolitana dif. praecedenti, & in hoc regula est pro edificantem, limitari solita, vel in casu emulatiois, vel favore honestatis, ubi scilicet agitur de Monasteriis Monialium, vel ubi de servitute constat, atque isto casu intrat inspectio spatii relinquenda juxta Constitutionem Zenonis insinuatam dist. dif. praeced. supra quae etiam multum hinc inde elaboratum fuit; sed pariter extra opportunitatem, ut in praecedentibus licet enim ea quae habentur deducta isto casu, insinuant in sequentem, qui est ille controversiae, nihilominus in intermedio viae, seu alterius loci publici aliquam differentiam constituere videtur.

Quartus demum est casus praesentis controversiae, ubi scilicet inter unum aedificium & alterum, aliquid extet vacuum, seu area de dominio unius vicini, ex cuius apertura alteri vicinum beneficium luminis, ac aspectus, vel prospectus recipit, quibus omnibus, vel eorum aliquibus praedictum, si praefatae areae dominus, consuetum statum immutandi, inibi aedificium construat. An scilicet concedatur alteri vicino jus prohibendi domino ne in suo aedificet, qui casus est bene specificatus in consuetudine Neapolis incipiendo. Si quis habet parietem sub tit. de servitutibus.

Ista quaestio duas habet partes. Unam generaliter negativam & prohibivam, seu de converso simpliciter affirmativam, ac permissivam absque aliquo medio, seu temperamento; Alteram verò modificativam, ut scilicet utraque facultas aedificandi, ac respective prohibendi concurrat compatibiliter in ordine ad relinquendum moderatum spatium, per quod ita utriusque consultum remanere dicatur juxta dictam Zenonianam Constitutionem registratam in Codicibus modernae impressionis, penult. C. de aedific. privar. ac etiam apud Rubicum 1. tom. singular. fol. 512. & apud Fenozon. ad statum Urb. 104. ubi disponitur relinquendum esse spatium duodecim pedum, in quo concordat d. consuetudo Neapolis, incipien. Si quis habet parietem, & Statutum Mediolani. par. 2. c. 337. Unde licet Zenoniana Constitutio in ordine ad aspectum maris legis vim probabilis non habeat ex deductis d. dif. praeced. Nihilominus in hac parte videtur, praesertim in Italia usu recepta, ut patet ex dictis juris municipalibus, ac etiam quoad urbana habetur spatium decem pedum in L. Mediana, C. d. tit. de aedificiis privar. cum etiam ipsa ratio naturalis assistat; Verum de hoc, super quo nimium hinc inde elaboratum fuit, pariter incongruum credebam agere debere, quoniam quidquid fit de materia istius spatii, de qua habetur particulariter actum infra in Romana fabricae de Mancinis dif. conf. 5. non expeditur huic parti immorari in isto motivo, cujus victoria sicumbentiam causasset, sed omnino insistere in altero omnimodo prohibitions immutandi antiquum statum.

Quatenus igitur ad hanc inspectionem pertinet, admittere regulam assistere volenti aedificare in suo, ad vulgarem regulam text. in L. altius, & l. adibus, C. de servit. & aqua, r. qui luminibus, ff. de servit. urban. praedictorum, cum concord. col. le. is

- 9 *lecti per Sperell. decif. 55. Capyc. Latr. d. decif. 50. & in supra allegatis Gerunden. altius tollendi decif. 587. 596. 599. & 661. p. 5. rec. cum aliis d. dif. praeced. Non curato tertii praedictio exinde resulante, quoniam attenditur principaliter utilitas facientis, seu adificantis in suo, non autem damnum, quod exinde accessio, seu consequitur alteri resulat, excepto casu emulatiois, seu tamen in domino non praesumitur ex deductis apud proximè allegatos, Minusque curato quocumque longissimo temporis decursu, quoniam cum id proveniret ex non usu facultatis, nunquam intrat praescriptio quod non concurrat ea quae facultatem excludunt, ex collectis per Buratt. dec. 38. Theaur. dec. 16. Rojas decif. 660. & frequenter hoc titulo in proposito decursus aquarum, vel accessus ad furnos, & molendina sub tit. de Regalibus.*
- 10 *Attamen ultra dictam limitationem resulantem ab emulatiois, quae in hac facti specie non de facili convincit, vel praesumi poterat, dum aedificium redudatur in notabilem utilitatem facientis; Deducitur altera limitatio ratione servitutis, cujus, & si nullus explicitus titulus, nullaque expressa probatio daretur. Adhuc tamen de jure admittitur probatio praesumptiva per adminicula, conjecturas, & praesumptiones juxta magistralem theoriam Bart. in l. 1. num. 9. ff. de iure iure a quoque privato, communit. canonizatae cum off. de iure per Mascard. dec. probat. com. 1215. Gratian. disp. 681. num. 7. Cafanar. conf. 39. Capobian. de Baron. prag. 14. num. 13. cum seqq. cum aliis per Rot. in Firma servitutis 21. Martii 1664. coram Ninot, & 13. Martii 1665. coram Oratorum aedictis in Firma de qua infra dif. seq. Ac etiam in decisionibus editis in Bonon. aquarum, de qua pariter hoc tit. dif. 25. & in aliis frequentat.*

Quoties autem agitur de materia consuetudinali, seu praesumptiva, certa & determinata regula generalis dari non potest, cum totum pendat ex iudicis prudenti arbitrio, juxta ea quae in ista consuetudinali materia satis frequenter habentur, sub tit. de aedificiis, & alibi regulando ex singulorum casuum particularibus, & individuis circumstantiis, ex quibus frequenter contingit, aliquas conjecturas, vel adminicula in uno casu sufficere, in altero verò eadem, & longe majora non, inspectis praesertim qualitate personarum, usu regionis, ac sper omnino, verisimilitudine, vel inverisimilitudine, quae in omnibus ambigitur primum locum occupat, atque ut nostri dicunt, veritatis, ac respective falsitatis imaginem habet.

In hac verò facti specie plura urgebant vehementia adminicula, ex quibus insimul, & unitim ponderatis cum consuetura regula, ut singula quae non profunt unum juvent, & in ambiguis & conjecturalibus perpetuo attendenda, cum sensu etiam veritatis credebam iustitiam huic parti assistere, qualis etià fuit sensus iudicis ita controversiam determinantium sub die 19. Septembris 1661. Non licuit scilicet, nec licere in dicto vacuo aliquid novum opus construere, quod officiat seu officere possit luminibus dictae domus Marchionis.

Prima species probationis, seu adminiculum deducebatur ex iudicio octo peritorum bonas rationes assignantium, quod juxta regulas architecturae, stante utriusque aedificii structura, dictum vacuum ab initio ita destitutum ac reliduum fuisset pro utriusque domus servitio.

Secunda conjectura deducebatur ex magna inverisimilitudine, activè, & passivè multipliciter concurrente, Ex parte scilicet Majorum dictae Marchionis, quod ad eod. nobile, & conspiciendum aedificium cum picturis aliisque ornamentis ingenti sumptu construere voluerint in hac parte respondente super area aliena, cum ad eod. patenti periculo, quod in dies arbitrio vicini, in quo ut plurimum aliqua emulatio vigeret solet, ita obcurari posset, atque penè inutile reddi. Et ex parte ipsius Lazari Matiae majorum, quod dictum aedificium cum Menianis, cornicibus, pro filiis & aliis ultra se protendentibus pati voluerint, Ac etiam quod successivo spatio annorum circiter 200. privare se voluerint facultate aedificandi in hac parte commodioris, ac nobilioris, stante praesertim usu hujus Civitatis, ubi ob incolarum frequentiam, ac situs qualitatem, hujusmodi aere, seu curtes non abundant, neque vacua negligi solent.

Tertia pro meo iudicio fortissima conjectura, stantibus praesertim dictis actibus negativis, seu permissivis, ut in praecedenti, resulabat ex actibus affirmativis ob qualitatem aedificii dicti alterius vicini, dum nobilior ejus pars ac mansiones destinatae ad domini habitationem respondebant in quemdam viculum, contra omnes architecturae regulas, omnemque verisimilitudinem, Si licet fuisset in hoc vacuo tanquam nobiliori parte aedificare, ac etiam quod stabulum, aliaque officinae existentes in hac parte habebant satis

depressam ac insolitam structuram, pariter contra architecturae regulas, unde clarum resulabat argumentum, id ab initio ita ex conventionem gestum esse, ne alias dicto conspiciendo aedificio praedictetur.

Quartum, Ego ponderabam conjecturam juris, de qua bene apud Castren. conf. 48. lib. 3. quod scilicet solent qui magnam ac nobile aedificium, seu domum construunt, ab initio casum praevidere, atque curare, & se assureare, utique selevare debeant, unde Cyriae. contr. 462. n. 34. ex eadem autoritate bene ponderat, quod ubi dominus adiacentis aedificii depressioris est idoneus, atque anterior elevatio sibi utilitatem, vel commoditatem generaret, & tamen negligit solum est quod facere non potuerit ob consuetum servitutum; Atque in idem Ego ponderabam eam circumstantiam, quod hic vicinus esset de eadem familia, in statu tamè magis privato, unde probabile est quod dicti Lazari Matiae filii, seu majori communi utriusque partis filii, secundum genitorem, seu alias atinenti, ista pars sicut assignata esset, cum haec lege, unde intrarent eadem quae habentur in Neapolitana, dif. praeced. de non concedenda facultate aedificandi in proprio solo in praedictum proprii auctoris, à quo illud habuit est.

Quintum, pro adminiculo considerabam statum Januae d. lib. 6. cap. 13. ubi ubi disponitur quod si inter duas domus aditu fundata, vel vacua, non possit unum illa integre occupare, sed sola medietas ad unumquemque pertineat, unde deducebam argumentum, quod cum hoc vacuum ad utrumque spectare deberet, ita per quamlibet speciem concordiae integrum datum fuerit uni, quod haec lege ne in propria parte, seu portione alius aedificare posset, ita juxta concordiae naturam, aliquid hinc inde dando, & recipiendo.

Ponderabam etiam in idem dispositionem statum Mediolani 332. par. 2. ubi disponitur, quod allegato titulo, ex sola longeva possessione, seu longavo usu ac statu praesumatur constituta servitus, nisi contrarium probetur, Licet autem istud sit statutum diversè titutionis, nullaque vim legis habeat extra proprium territorium, & cum non subditis, Nihilominus, stante praesertim regionum vicinitate, rectè attendendum videtur pro argumento sub praesumptione, cum in iis casibus qui non habentur in iure expresse determinati, sive pro interpretatione juris dubii, rectè deseriant leges, vel consuetudines aliarum, praesertim adiacentium, Civitatum, seu provinciarum, sicut in L. de quibus, num. 6. ff. de legibus, Consuet. in l. 1. C. de filijs official. lib. 12. n. 36. Adde, ad Rovit. prag. 2. de sessione honorum, vers. licet verò, scribentes apud Pratium responsorum, 46. n. 53. cum seq. Rot. decif. 357. num. 49. & seq. art. 11. recent.

Ac demum ponderabam conspiciam qualitatem hujus aedificii, ob quam de jure, ob publicam utilitatem conceditur vicino, construere, perficere, vel ornare volenti palatium, seu conspiciendum aedificium, cogere vicinum ad sibi vendendam arcem, seu domum depressam, in suo genere non habente nobilem fructuam, & non facientem ornaum, Metropolitanis conspiciens ornari aedificiis, ut advertunt Roman. singular. 728. Theaur. jun. lib. 1. quest. forens. 64. num. 3. cum seqq. Giur. abser. 86. num. 5. Carena refol. 2. Atque ita in pleiisque Italiae Civitatibus statutum esse refert Theaur. ubi supra, n. 5. & habemus in Urbe statutum per Constitut. 22. Gregorii XIII. de qua frequenter hoc tit. ad materiam retractus coactiva dicti assumpti, quam formiter ex amine non oportuit, dum ita incipiente deducebatur, Adhuc tamen ponderabam id esse in proposito considerabile, quoniam cum damus adionem, multo magis considerandum exceptionem, ac etiam quia non agebatur de cogendo ad vendendum, neque ad patientiam ex hac sola causa servitutem, sed considerabatur pro uno ex adminiculis, Praesertim verò omnia haec, ut supra dicta regula, ut singula quae non profunt, & cum non vera hujusmodi quaestiones sint potius facti quam juris, Ac propterea, reflectendo ad veritatem, etiam post jam decimam & septimam controversiam, iusta, benèque fundata mihi vita est dicta resolutio.

ANNOT. AD DISC. II. & seqq.

Super eadem materia servitutis altius non tollendi, vel discutere in puncto juris, quoniam quaestiones quo contingunt in foto disputanda facti potius censenda sunt, certum non recipientes regulam, sed ex singulorum casuum particularibus circumstantiis decidenda adeo ut in eptia manifesta sit

authoritate; quæ aliquos casus percipiunt, omnibus aliis applicare, ut advertitur etiam infra, *disc. 110.* Et alibi, cum propositio juris tam circa regulam, quam assistit volenti edificare in suo, quæ in circa limitationes quæ prohibenti assistunt in abstracto, sint veræ, totus autem punctus consistat in applicatione, quæ pro locorum moribus, & sitibus, atque ædificiorum qualitatibus regulanda venit, unde merito pene tota materia iudicis arbitrio remissa est.

In casu autem de quo in hoc, *disc. 2.* Agitur juxta scripta ad favorem prohibentes decisum fuit per Rotam Januariam à qua prodijt elaborata decisio pro stylo typis data.

FIRMANA SERVITUTIS PRO HIERONYMA BARLETTINA DE COLUMBANIS.

CUM LUDOVICO DE FRANCESCHINIS.

Casus decisus per Rotam pro Hieronyma.

De probatione servitutis prospectus per adminicula & præsumptiones, nec scilicet quis in proprio muro, propriaque domo construere possit fenestras, vel aliud novum opus facere, quod respondeat domui, vel areæ vicini, ac prospectum præjudicalem causet.

S U M M A R I U M.

- 1 Facti series.
- 2 De regula assistente edificanti in suo.
- 3 Servitius probatur etiam per præsumptiones & adminicula, & quomodo in materia procedendum.
- 4 De adminiculo negativo assistendi longo tempore à construendo opere.
- 5 De adminiculo affirmativo habendi in muro fenestras cum certo restricto modo.
- 6 Quomodo in hac materia defendendum sit testibus.
- 7 Conventiones super servitute non aperiendi fenestras, vel aliud non ædificans, an sint personales, vel reales.

D I S C. III.

Cum Ludovicus veller in muro propria domus aperire fenestras, ex quibus in cortile, seu aream domus Hieronyma prospectus haberetur, unde aliquod præjudicium, vel in commodum exinde resultaret, præfata Hieronyma se opponente, introducitur lite in Rota in Macerat. aliique Tribunalibus in partibus, quatuor diversæ proderunt sententiæ, duæ scilicet pro utraque parte respectivè. Unde demum introducta per appellationem causa in Rota coram Ninot, datoque dubio, an & ad cuius favorem constaret de duabus conformibus, quæ venirent exequenda, sub die 21. Martii 1664. ad favorem Hieronymæ opponentis prodijt resolutio, confirmata 13. Martii 1665. coram Oratoribus subrogato in locum dicti Ninot interim assumpti ad Episcopatum Gerunden. atque cum litis resolutionibus causa, quod sciam, sine recepti, dum amplius de illa actum non audivi, dictæque resolutionis mihi pro Hieronyma scribentibus, reflectendo etiam ad solam veritatem, iuste ac probabiles visæ fuerunt.

Quamvis enim Ludovicus dictum opus in suo ad propriam utilitatem, seu commoditatem principaliter facere volenti assisteret regula, non curato accessorio, seu consequutivo vicini præjudicio, minusque contrario longissimo statu tantquam in actu facultativo. Unde propterea dicebam inani labore se testibus scribentibus in contrarium, qui cum copiosissimis allegationibus huiusmodi hodie vulgares, ac præsupponendas propositiones probare curabant. At tamen punctus erat in eius limitatione resultantia à servitute, quam pariter receptum est, nedum cum titulo explicito, ac expressa probatione, sed etiam per præsumptiones, & conjecturas iustificatione posse, juxta celebrem auctoritatem Bart. in l. 1. §. hoc interdict. n. 9. ff. de iure ad iure privato, cuius verba præfata sunt hæc. Et idè dicit Jacob. de Aret. & alii moderni, quod sufficit quod probet se audisse hoc dici à quibusdam vicinis, & à quibusdam sibi dignis, quod sibi competat ius cundi &c. Ita dicunt ipsi: Ego puto in veritate hoc esse, quod debeat aliquod probare, quod ipse motus sit ad credendum sibi servitute competere. Et idè puto quod si erat de hoc fama per contrariam, licite potest credere. Idè fortius si erant ibi signa, vel iuramentis, vel aliis, vel alia verisimilia, quæ possunt animam adducere ad istam credulitatem, quod autem sit usus iure servitutis, probatur ex actibus; Quæ Bartoli traditio super probatione servitutis per præsumptiones, & admini-

cula est communiter recepta ex deductis per Grat. *disc. 681. n. 7.* Panciroli. *conf. 74. num. 4. & 5.* Calanotte. *conf. 30.* Theaur. *decif. 16.* cum aliis in huiusmodi decisionibus; Atque ubi non haberemus auctoritates, id suaderet ipsa ratio naturalis, quoniam tam ob difficultatem probationis in antiquis, quam etiam, quam ut plurimum huiusmodi ita adjacentes domus, ut præsertim quibus controversæ structura denotabat, solent esse unius patrisfamilias, atque inter plures filios, seu hæredes dividi, cum huiusmodi servitutibus non conveniunt, super quibus confici non solent scriptura, unde propterea ista materia potius est facti, quam juris, super qualitate scilicet præsumptionum, & adminiculorum, quæ ex personarum, ac locorum, seu usus regionis diversitate veniunt pro iudicis prudenti arbitrio diversimodè ponderanda.

In hac autem facti specie plura concurrunt, ex quibus reflectendo etiam ad solam veritatem; dictæ resolutiones iustæ, ac probabiles visæ sunt, quoniam ultra magnum adminiculum ratione inverisimilitudinis resultans ex actu negativo, seu non usu facultatis aliàs competentis tam diuturno tempore aperiendi hæ fenestras, quas ex qualitate mansionum nimium luminibus carentium constabat nedum esse satis commodas, sed quodammodo necessarias; unde propterea cum impensa esset satis modica, & personarum qualitatibus nimium facilis, omninò improbable est, quod tamdiu possessores pro tempore se voluerint ista commoditate privare, & consequenter magnum servitium adminiculum, seu præsumptio resultat, ut ponderatur in *Janen. disc. præced.*

Alterum fortius adminiculum resultat ex actu positivo, quoniam in eodem muro aderat ab antiquo fenestra, sed in parte superiori, atque ut vulgè dicitur ad lumen tantum, abique eo quod exinde prospectus aditus, & passus haberetur. Et quod magis, eadem fenestra habebat cancellos ferreos, & viticos, ex quibus signis clarè ostendebatur, ita ex conventionibus ab initio constructæ esse, quod servitium prospectus causare non possent, ut in specie advertitur per Cepoll. *de servit. urb. præd. c. 62. de fenestra. n. 11. in sup. Afflic. dec. 225. per tot. Rot. in Camerinen. iuris fabricandi 27. Junii 1635. coram Dunozeo inter suas acc. 404. n. 5.*

Et ulterius plures dabantur testes de communi traditione & fama, ac etiam de auditu ab antiquioribus utriusque respectivè domus possessoribus de huiusmodi servitute ex antiqua conventionione; Et quamvis adversus istos testes, tam in dicto, quam in persona plures deducuntur exceptiones, in quarum singulis scribentibus in contrarium longas reterecebant allegationes. Nihilominus dicebam, & Rota rationabiliter admittit, huiusmodi inspectionem per integra fide ipsi testibus præstanda nec ne, in irate quando ab eorum dicto tantum convenit servituti probatio penderet. Secus autem dum testes considerantur pro solo adminiculo cum aliis coniungendo, cum confecta regula in his materiis perpetuo attendenda, ut singula que non presumunt, &c. Sive quod intraret propositio in foro quotidiana, & recepta, quod exceptiones quas testes pati possunt, sanæ sive suppletæ remanent ab adminiculis; Unde sive considerarentur alia adminicula ut supra pro corroboratione testium, sive isti considerentur tanquam constituentes adminiculum cum aliis coniungendum, ita videbatur concurrere omninò sufficiens probatio, dum hæc non omninò exacta, & perfecta, sed etiam adminicularia sufficit juxta dictam theoriam Bart.

Insuper etiam scribentibus pro altera parte, quod ubi deferendum esset testibus deponentibus de huiusmodi conventionione inter antiquos utriusque domus dominos inter se conjunctos, ac probabiliter ab uno stipite ut supra habere habentes. Adhuc tamen id intelligendum veniret quoad ipsas personas, quodque regulariter huiusmodi conventiones de non aperiendo fenestras, vel similitur, cessantur personales, idè quod non afficiant singularem successorem; ut per Hipolytum de Marfil. *singul. 333. Carpan. ad Stat. Mediolani, c. 333. n. 12. p. 2. Mangil. de viti. q. 161. n. 13. & seqq.*

Sed pariter dicebam istam esse potius questionem facti quam juris, non recipientem certam ac generalem determinationem, sed regulandam ex singularum casuum particularibus circumstantiis ac adminiculis denotantibus an verisimiliter id habeat causam perpetuam necne ita dicitur potius conventio realis quam personalis, ut ex Speculatore, Cepolla, & aliis advertit idem Carpan. ubi supra, atque in simili conferunt deducta per Cappy. *Latt. consuls. 109. n. 6. cum seqq.* ubi de materia, an & quando conventiones dicantur reales, vel personales, cum aliis per Oleam *de cessione tit. 4. q. 7. n. 8. cum pluribus seqq.* Ipsa verò rerum situatio ac subiecta materia ostendebant conventionem fuisse potius realem,

lem, quam personale ob notabilem valoris diminutionem, quam in ipsis domibus huiusmodi servitutis causare solent, unde cum de illa convenienti principaliter expediat eam esse realem; resultat præsumptio quod ita conventum fuerit, ita longævè subsequuta observantia comprobante.

ANNOT. AD DISC. III.

Decisiones prodijt in ista causa, & in discursu enuntiata sunt jam impressæ, prima nempe inter illa Ninot. post illas Arguell. *decif. 71.* & altera coram Oratoribus est in p. 14. *rec. dec. 276.* incertumque est an causa ulteriorem progressum habuerit, cum de illa amplius actum non audierim. Et de materia aperitur fenestra agitur infra in hoc supplemento, *disc. 92.*

CAMERINENS. EDIFICII PRO ARESTIIS. CUM FELICE POLAISTRA.

Casus disputatus in partibus, ac etiam in Signatura iustitiæ, & provisionaliter resolutus pro Polaistra edificante.

An & quando vicinus uti possit muro adiacenti alteri edificio, illum alius elevando, seu fenestras vicino præjudiciales aperiendo; Et quomodo murus dicatur proprius, vel communis.

Et de Scaturis Civitatis Camerini in hac materia deponentibus, eorumque interpretatione.

S U M M A R I U M.

- 1 Facti series.
- 2 De elevatione muri intermedii divorsii, remissivè.
- 3 Murus intermedius ad uno edificans an, & quomodo sit communis.
- 4 In muro ex sui aptitudine destinato ad edificium licet consocio superaedificare.
- 5 Declaratur.
- 6 De axiomatico quod turpis ejicitur, quam non admittitur, &c.
- 7 Declaratur conclusio, de qua n. 3.
- 8 De Scaturis Camerini, ut non liceat edificare in præjudicium vicini.
- 9 Quando fenestra dicitur aperiendi ad emulacionem.
- 10 Consuetudo moderator libertatem edificandi.
- 11 Concessionarius non potest vi re concessa in præjudicium, & servitium concedens.
- 12 Licentia aperiendi fenestras in loco in quo esse consueverunt, quomodo intelligatur.
- 13 In suo prospectu edificare, & fenestras aperire etiam si vicino præjudicium.
- 14 De signis excludentibus communionem muri, & probantibus dominium unius.
- 15 De regula edificandi in suo.
- 16 Declaratur quomodo murus intermedius dicatur proprius constructus, & communis vicini.
- 17 Quando dicatur omnino proprius exclusivè ad omnem communionem vicini.
- 18 Hac materia est arbitraria, & quomodo decidenda sit.
- 19 Quando dicatur certa communio muri.
- 20 De statuto Camerini circa fenestras.
- 21 Ubi una, vel aliqua fenestra jam adsunt, earum multiplicatio non præjudicat.
- 22 De signis fenestre clausæ in reservatis.
- 23 De provisione de qua in c. 1. & 2. de novi oper. nuntiati. & quando illi locus esse debeat.

D I S C. IV.

Volentes Arestii de anno 1607, construere quosdam muros in area intermedia inter eorum domum, ac alteram Guglielmi, convenerunt cum isto id eis licere, dummodo ex ipsis parte muri prædicti remaneret ad eum liberum usum, tam quoad appodium, quam quoad alios usus, prout Polastrum Guglielmi successore anni elapsis illis usus est, cum tignorum immisione vulgè appodio nuncupata, ac tecti sustentatione usque ad alterius domum æqualem factò supra tectum elevando, turrim, seu lodiam constructam cum fenestris, servitium prospectus, aliaque præjudicialia ex duplici clara ratione. Una scilicet, quod ita esset utri remanenti in totum, in præjudicium socii, cui sua portio ita remaneret inutilis, Et altera, quia esset utri remanenti extra usum, ad quem destinata est, ex quibus rationibus ut supra licitum etiam est claudere fenestras jam constructas, idè quod multo magis impedit novam constructionem, ex regula, quod turpis ejicitur &c. quæ forentes iustitæ passim utuntur Alex. *conf. 213. n. 7. lib. 6. Surd. conf. 64. n. 7. & ceteri frequenter.*

Verum reflectendo ad veritatem inspectis solis terminis juris communis dubitabam de motivo, quoniam juxta ea, quæ in specie habentur hoc *cod. tit. in Romana de Aste, disc. 14.* id redè procedit ad effectum, ut alter vicinus volens etiam ad æqualitatem suam domum & tectum elevare, prohiberi non possit, (oluta portione expensatum ob communionem

quædam porta ab antiquo clausa cum fabrica, intendebat illam aperire cum præjudicio pariter prospectus. Unde introducta desuper lite coram Gubernatore Camerini, post longam disputationem, in qua tria pro Arestii edidit responsa, iudex nihil super negotio principali determinando, innixus dispositioni textus in cap. primo, & secundo de nov. oper. nuntiati. & l. final. C. eodem, provisionale remedium in dictis iuribus consilio decrevit ad favorem edificantis, moderando scilicet inhibitionem, stante cautione præstita de demolendo, seu claudendo in casu cautionis, & itaque provisio canonizata fuit per Signaturam iustitiæ de mandatum moderationem inhibitionis in vim appellationis obtenta ab A. C. quod puta causaverit litis terminationem per acquiescentiam, vel concordiam, dum non audivi de causa amplius actum.

Duo igitur erant hujus controversiæ puncti, Unus super elevatione muri supra tectum cum dicta constructione lodie & fenestrarum, servitium ac præjudicium inferentium, Alter super dicta apertura portæ, seu fenestræ jam ab antiquo muratæ, & quoniam in hac Civitate pleraque ad usum staurata super hac servituti materia dispendentia, idcirco scribendo in causa, pro Arestii novo edificio se opponentibus, duas efformabam inspectiones, Unam in partibus terminis juris communis, Alteram attentio pure statutaria.

Quatenus igitur pertinet ad primum punctum elevationis, & usus muri intermedii, qui usque ad æqualem utriusque tecti altitudinem deserviebat pro tectorum, & tignorum utriusque domus sustentatione, non intrabat questio adeo per DD. controversa, & de qua apud Rovit. *decif. 30. decif. 253. part. 7. recent. cum aliis in Pisaurien. muri, hoc cod. tit. disc. 6.* ubi scilicet agitur de muro, ut vulgè dicitur muro inter duas areas, seu domos intermedio, divorsio potius partes faciente, cum non dubitaretur istum murum fuisse aptitudinè, non ad solam arearum divisionem, sed ad ædificium, ac tignorum & tectorum utriusque domus sustentationem constructum esse, unde propterea juxta distinctionem plenè deductam & comprobata in eadem *Pisaurien. muri, & in aliis hoc cod. tit. frequenter,* melior erat conditio socii volentis edificare, cum uteretur muro communi ad usum, ad quem destinatus est.

Neque est dictorum murorum communionem dubitandum erat, non obstante, quod soli Arestii illos jam collapsos fuisse sumptu refecerint, quo casu cessante conventionione, vel dicens essent proprii, vel, & verius communes habitu tantum, non autem actu, quod scilicet posset alter vicinus petere communionem ac usum, refusa tamen ejus parte expensarum, ex deductis apud Veggium *conf. 43. num. 26. & in aliis hoc tit. frequenter* ex magistrali doctrina Bart. in l. quidam *liberius, ff. de servit. urbanorum prædiorum, num. 2.* quoniam dicta conventio omnem questionem dirimebat, & consequenter, posita communionem, dicebatur ex parte edificantis, quod dum murus erat de sui natura, & aptitudinè destinatus ad edificandum, hinc fundata erat ejus intentio, ex deductis post antiquiores per Sperell. *dec. 54. & 56. Theaur. decif. 23. & 41. Thomat. dec. 119. Duran. dec. 450. & dec. 353. p. 7. rec. cum aliis in eadem Pisaurien. & alibi.*

Replicabam scribens pro opponentibus, id redè procedere, quando vicinus uti vult muro ad usum destinatum, quia nempe habens ejus domum cum tecto deserviebat tecto alterius vicini, veli suum tectum alius edificando reducere ad æqualitatem, seu etiam ad supereminentiam, in quomodolibet tamen ad eundem usum utatur appodio; seu appositione tignorum & tecti, quo casu non docto de servitute, id licitum est, etiam si exinde contingat claudere fenestras, quas alter vicinus in parte supereminenti aperuerat, qualis est propriè casus disputatus apud Duran. *dec. 450.* secus verò ad alium usum, aperiendi scilicet fenestras, & faciendi alia vicino præjudicialia ex duplici clara ratione. Una scilicet, quod ita esset utri remanenti in totum, in præjudicium socii, cui sua portio ita remaneret inutilis, Et altera, quia esset utri remanenti extra usum, ad quem destinata est, ex quibus rationibus ut supra licitum etiam est claudere fenestras jam constructas, idè quod multo magis impedit novam constructionem, ex regula, quod turpis ejicitur &c. quæ forentes iustitæ passim utuntur Alex. *conf. 213. n. 7. lib. 6. Surd. conf. 64. n. 7. & ceteri frequenter.*

Verum reflectendo ad veritatem inspectis solis terminis juris communis dubitabam de motivo, quoniam juxta ea, quæ in specie habentur hoc *cod. tit. in Romana de Aste, disc. 14.* id redè procedit ad effectum, ut alter vicinus volens etiam ad æqualitatem suam domum & tectum elevare, prohiberi non possit, (oluta portione expensatum ob communionem

noneminenti aptitudine existentem etiam in parte elevata, quamvis istius tantum sumptu constructa, non autem ut interius, ac donec ipse talem usum habere intendit, prohibere possit liberum usum muri, quem alter vicinus suo sumptu supra tectum alius construxit, quoniam interim totas et suas licet apertitudine communis, iudicet sibi imparet alter vicinus, cur habitabilem communionem non reddeat ad actum.

Credebam vero, etiam cum sensu veritatis, in hac facti specie probabilium ad favorem prohibentis respondendum videri ex iure statutorio, dum in rubr. 107. lib. 2. statutorum hujus Civitatis dicitur disponitur per verba precisa, ut non possit super dicto muro, quem fecerit, super dictum murum communalem facere aliquam fenestram, que penetret totum murum super, & versus domum, seu territorium consortis, unde propterea intrare videbatur vulgaris regula textus in l. ille aut ille, §. cum in verbis, ff. de legat. tertio, de qua decis. 44. n. 14. p. 1. rec. quod scilicet in clavis non intrant glorie, & argumenta.

Et quae fortius dicitur statutarie dispositioni locum esse debere dicebam ex duplici circumstantia, Una scilicet, quod cum dicta lodi, vel turris ab alia parte meliori deas alias haberet fenestras lumen praebentes, etiam ad superabundantiam & oblectamentum, permittebat non erat haec alia fenestra gravem servitutem inferens domui vicini, quae supponebatur in loco satis conspicua, ita ut speciem emulationis continere videretur, ut punctualiter Cephal. conf. 130. n. 11. cum seq. super quo tamen certa, & determinata regula dari non potest, sed totum pendere videretur ex iudicis prudenti arbitrio ad singulorum casuum particularibus circumstantiis regulando, attentis praerogative qualitate adificiorum & personarum respectivè, & super omnia regionis more, seu consuetudine, ad cuius limites referenda est generalis regula textus in Latrius, C. de servit. & aqua ex deductis per Surd. decis. 168. n. 5. & seq.

Altera, quod isti muri, quamvis utriusque domui respondentes, toto eius sumptu constructi essent per unum vicinum, qui alteri gratum communionem concessit, praeficiendam proinde pro usu moderato, & tali, quod concedenti grave praedictum non inferat, nam alias esset species ingratitudinis, ex istis, quae in proposito, seu a simili habentur in Neapolitana adificiis, & in Januæ. hoc eod. tit. disc. 1. & 2. ex Castren. conf. 48. lib. 3. Cyriae. controv. 28. numer. 11. cum sequent. Andreol. in addit. ad Cepoll. vers. de servit. ne luminibus, & c. impress. post tertiam partem controvers. fol. 242.

A iuribus dictum statutum in rubr. 107. quod in verbis pre-supponendo parum eminentioris, & ut ibi dicitur, supra gradandam, esse totam alterius vicini ad hunc fenestram aperituram praedictam prohibet, Replicabatur ex parte adificantis, in eodem statuto, seu in altero, 108. contineri moderationem, ubi scilicet alia fenestra esse non consuevit, secus autem ubi existere, vel esse consueverit, Unde propterea scribentes hinc inde in partibus nimum elaboraverant super quaestione, de qua apud Afflic. decis. 224. an scilicet intelligeretur de loco individuo & praefixo, in quo fenestra esse consueverit ad priorem statum redigenda, & non alias, ut nostri dicebant, vel potius de loco generali, in quo alius fenestras existentibus prohibendum non sit alias aperire, ut dicebant scribentes in contrarium. Verum haec inspectio mihi videbatur ad casum extraneum, ideoque labor inanis, quoniam de hoc non agit rubr. 107. in qua proprie tractatur de muro intermedio saltem apertitudine ut supra communi, sed agit in rubr. 107. in qua indefinitè disponitur, ne quis in muro suo facere possit ostium, vel fenestram versus claustrum, seu domum vicini, cui servitutem inferat, unde in hac parte statutum est exorbitans & correctorium iuris communis, cuius dispositione attenda, non probata servitute, non prohibetur quis in proprio muro, cessante emulatione in dubio non praesumenda, fenestras aperire, & aliaque sibi bene visa facere, quamvis exinde vicino praedictum circa prospectum, seu alias inferatur, quoniam principaliter attenditur utilitas, seu commoditas facientis ut apud Dunozetum decis. 404. n. 1. & est principium vulgare, de quo hoc tit. frequenter.

Judex in motibus totam vim constituat in eo, quod murus supereminens tectum non esset communis, sed totus pertinere ad volentem edificare utpote ab eo constructus, ponderando etiam pleraque signa communionis exclusivè deducta dict. decis. 257. part. 7. recent. apud Honded. eod. lib. 1. Theol. decis. 119. Surd. conf. 127. & alios, de quibus in d. Pisanien. muri disc. 6. & consequenter exclusi

communione, infererebatur ad superius traditam regulam generalem deducendam ex Latrius faciendi in suo emulatione cessante, quidquid placet, non curato consecuto vicini praedictum ex deductis d. decis. 257. Surd. decis. 54. & seq. Duran. dec. 450. & frequent.

Dicebam tamen, etiam cum sensu veritatis, huiusmodi inspectionem extraneam videri a casu, Tum ratione iuris municipalis, per quod literaliter & explicitè, supponendo murum eminentioris, & supra gradandam esse totum domini domus eminentioris, prohibetur fenestrae aliae quod in domo vicinioris, Tum etiam quia, ut supra dictum est, quoties agit de huiusmodi muris lateralibus ad utriusque domus tigna, & tecta sublinenda actu, vel aptitudine principaliter destinatis, licet ubi per unum tantum constructa sunt, illius tantum dicantur, ad effectum ut alter vicinus corum usum habere non possit, non refusa parte pretii, neque etiam impedire constructi usum, donec ipse illa communionem quam habet habitabilem, reducat ad actum, Nihilominus, certum est adesse communionem habitabilem, quam in libro & facultate vicini est reducere ad actum, atque aequale usum habere alius etiam elevando iuxta receptam theor. Barr. in d. l. quidam iterus ex deductis per Veggium d. conf. 53. n. 36. Duran. decis. 450. n. 6. & 7. Surd. decis. 168. n. 3. & 4. & in terminis fenestrae non aperienda Surd. conf. 387. n. 4. & per tot. ex ea clara ratio deducta per eundem Surdum conf. 126. n. 6. & seq. & per tot. quod scilicet cum indubitatum sit, a tecto circa, seu a loco in quo adsunt utriusque domus tigna, murum esse communem, nisi appareat ad unum spectare iure domini, alterum vero immisisse tigna iure servitutis, & ut vulgo dicitur, appodit, idecirco una, & eadem res non potest diverso iure censerit, diversamque naturam habere, nisi cum dicta distinctione respiciendo effectum communionis, donec socius ex parte sua impleat refectionem expensarum, communioni etiam contrariale, vel nisi concurrant servitutis probabilia indicia ponderata in Firmiana, & in Januæ. disc. 2. & 3. & in aliis, quia nempe ex adificiorum structura, personarum qualitate, ac more regionis, aliisque circumstantiis pateat, studiosè, & ex conventionem ita unum domum depresso, alteram vero eminentioris constructam esse, ad effectum, ut ista in ea parte, in qua alterum supereminet, necessaria, vel commodiora lumina, aliaque commoditates recipere possent. Unde propterea dicebam erroneum videri in iudicante fundamentum consistendum in iis, quae habentur in decisionibus desuper editis, multoque minus in consillis, cum ista videatur materia arbitraria, & facti potius quam iuris, certum, seu generalem regulam non recipiens, sed ex singulorum casuum individuis circumstantiis pro iudicis prudenti arbitrio regulanda.

Quoverò ad alteram inspectionem super apertura fenestrae in quadam parte muri infra tectorum sum existente, & quae ex parte opponenti erat nuda, utpote in eorum arcam, seu cortile respondens. Adhuc per motivantem insistebatur super iam dictis, an scilicet ista pars muri esset communis necne, quod mihi omnino impropium videbatur, dum sola quaestio esse videretur in parte supereminente, & in altera parte inferiori, & subius ordinem tecti & tignorum etiam domus depresso, casus videtur indubitatus, ut in specie habetur apud Surd. d. conf. 126. n. 6. cum seq. Clarius vero ac ad evidentiam, quoniam etiam ex hac parte aderat signa, quod antiquitus adfuerit tigna deinde sublata pro majori lumine aere, seu cortilis, & sic nuditas muri ex hac parte proveniebat ex sola facultate, ac majori commoditate consortis, qui habens iam usum, ad quem murus destinatus est, vult eo uti pro habendo usum meliori, alteri vicino non praedictum, sed potius proficuo, cum ita sua interit murum communem minus oneratum esse, & consequenter refectione minus indigentem. Unde propterea, legali ac humane rationi prorius oppositum videretur, ut qui facultatem habet muro utendi cum majori gravamine & praedictum conforti, non possit ita magis moderatè uti abique eiusdem conforti praedictum, sed potius utilitate, etiam spectatis nudis terminis iuris communis, multo magis attento jure municipalis, & quod etiam in muro indubitato proprio, exorbitando à iure prohibet ne quis faciat innovationem vicino praedictam.

Scribentes pro adificante, quibus iudex adhaerebat, dictam statutarjam dispositionem potius retorquebant, illam ad sui favorem deducendo ob moderationem deductam ex illis verbis, ubi fenestra non consecuta esse, quod ubi esse consecuta, statutum id concedat, quamvis alias de iure non permitteretur; Sed revera istud motivum fabulæ speciem omni-

omnino habere videbatur, quoniam Statutum inductum est potius in correctionem, seu limitationem iuris communis, ac in restrictionem facultatis alias de jure competens, ad effectum tollendi vicini servitute, praesertim circa prospectum, ita exigentibus regionis moribus pro publica pace conservanda, & scandalis evitandis, quae tamen exorbitans, & correctoria lex iustè, & rationabiliter dictam moderationem habet, ubi scilicet cessat ejusdem legis finis, ex eo quod aliqua addit fenestra, ex qua jam haberetur prospectus, quo casu magis & minus, seu numeri multiplicatio non videtur novam servitute inducere juxta decisionem Afflicti 224. quod tamen non transit abique difficultate ex plenè deductis in contrarium per Surd. conf. 387. n. 6. cum seq. cum quo pertransit Sperell. decis. 56. n. 9. ad quod conferunt ea, quae circa multiplicationem fenestrarum, ubi jam alique adsunt, habentur in Romana de Albericis hoc eod. tit. disc. 19.

Omnique in proposito, pro medio iudicio difficultas cessare videbatur, ex ea facti circumstantia, quod istius antiquae portae, seu fenestrae usus, etiam de praeterito fuisset aperire volentis autoribus satis commodus & opportunus, & tamè passim fuit longo tempore illam remanere clausam etiam cum muro; signum clarum, quod id ex conventionem ac iure servitutis factum sit, ut ponderatur per Rotam in alia Camerinen. iuris fabricanda 27. Junii 1635. coram Dunozetto inter suas decis. 404. cum aliis deductis in dicta Firmiana servitutis disc. praeced. Et potissimè, quia in facta supponebatur, ex parte huius domus adesse signa, quod dicta porta, seu fenestra pro libito claudi posset cum lignis, unde ad istius potius, quam illius usus, & commoditatem antiquitus constructa erat.

Et quoad disputationem habitam in Signatura super executione danda huiusmodi provisionibus in materia enunciationis novi operis ex d. leg. fin. C. hoc tit. & cap. 1. & 2. eodem, deducebam eadem, quae habentur deducta in Romana fabricae de Mancinis pro Principe Gallicani disc. seq. ut scilicet recipiendum sit, quando vicinus se opponit vicino adificanti in ea parte, quam indubitatum est esse suam, & quando iuris regulate assilunt edificare volentis, resistunt vero se opponenti, atque mora inter grave praedictum causat, secus autem, ubi agit de innovando in re, quae praedictum communis, & contra antiquum rei statum, dum tunc regulae potius resistere videntur innovanti, qui sicuti pro longissima tempora rem in eo statu permanere passus est, ita pati debet continuari, donec causa iudicè terminetur, & c. conversò, durum ac irrationabile videtur, ut vicinus de facto cogatur pati damnum, & praedictum interit irreparabile, & deinde sublinere longam litem ordinariam per tres conformes contra omnem rationem, ac iuris intentionem.

ANNOT. AD DISC. IV. & V.

Præter causas contentas in his discursibus pro mea notitia ulteriolem progressum habuerunt; Et de materia provisionis de qua in utroque jure civili, & canonico sub eod. tit. de novi oper. nunc. agit rubr. infra, disc. 89. Et de usu muri communis, vel lateralis, disc. 91.

ROMANA FABRICE DE MANCINI, PRO POMPEO COLUMNNA PRINCIPE GALLICANI, CUM CARDINALI MANCINO.

Causis disputatis coram Camerario, & in Camera, & resolutus pro Mancino ut infra.

De facultate Aedilium, seu Magistrorum viarum concedendi uni vicino locum, seu situm publicum in alterius vicini praedictum, an competat nec ne. Et de facultate vicini utendi muro proprio alterius vicini soluto appodio, etiam obscuro lumina, seu fenestras: Et aliqua de sententia provisionali ad normam text. in cap. penult. & fin. de novi oper. nunc. quando illi sit locus nec ne, & an admittat appellationem suspensivam.

SUMMARIUM.

- 1 Facti servit.
2 De sententia provisionali in materia novi operis.

- 3 Hec provisio solet dare finem litibus in hac materia.
4 De punitis disputatis.
5 Concessio locorum publicorum est de Principi reservatis.
6 Ista concessio facta à Principe intelligitur sine tertii praedictum.
7 De Aedilibus, seu Magistris viarum, eorumque potestate.
8 Declaratur conclusio, de qua n. 6.
9 De spatio relinquendo inter unum adificium, & alterum.
10 De sententia provisionali, quando in hac materia intret nec ne.

DISC. V.

Inter domum Pompei Columnnae Principis Gallicani, & illam Cardinalis Mancini tunc Praelati, aderat quadam area, seu vacuum, cuius pars erat de privato dominio Mancini, altera vero pars juris publici versus viam, seu viculum, utrumque situm distinguente quadam muro divisorio cum porta pro usu domus dicti Mancini, qui murus adiacebat domui Columnnae. Quare volens Mancinus prosequi jam destinatum adificium in dicto vacuo, seu area, ut ostendebat fabricae jam constructae signa, quae vulgo morse dicuntur, obtinuit ab Aedilibus, seu Magistris viarum concessionem dicti situs publici ex motivo publici ornatus, atque ut vulgo dicitur dandis sum dictae viae, seu vinculo Cumque ipsi incipienti hoc novum opus construere, praefati Columnna tunc abfentis ministri se opponerent, atque novi operis nuntiationem facerent, mediante inhibitione concedi folis à Camerario; Hinc assumpta de super disputatione proposita sententia provisionalis ad limites text. in l. unica, C. de novi oper. nuntiat. & c. penult. & fin. extra eodem, ac etiam statuti Urbis 148. Ut scilicet praestita per edificare volentem cautione de demolitione quatenus in progressu causae contrarium esset iudicatum, ac etiam relicto quadam congruo spatio pro usu parvae portae dictae alterius domus in praefato publico situm respondentis, liceret opus prosequi, moderando inhibitionem in forma. A qua sententia, seu provisione interposita appellatione ad Cameram, & disputato dubio, An & quomodo esset inhibendum, pro inhibitione scilicet ad devolutivum tantum, qui modus inhibendi iuxta huiusmodi controversiarum naturam ac frequentiore exitum dedit finem controvertis, quae ulteriolem progressum non habuit.

In istis autem disputationibus habitis in utroque Tribunali Camerarii, & Camerae praesertim verò in hoc eodem, ad effectum ut admittretur appellatio suspensiva, à cuius admissione, vel denegatione respectivè ut supra, pendere solet etiam ipsius negotii principalis determinatio, tres fuerunt inspectiones, seu puncti; Primò scilicet super potestate Aedilium, seu Magistrorum viarum faciendi huiusmodi concessionis de locis publicis aliis vicinis praedictum, nulla huiusmodi praedicti habitae cognitionis, seu facta mentione. Secundò postea quod id fieri potuerit, unde propterea totum istud spatium, seu vacuum effectum esset juris privati. An posset dictus vicinus in toto edificare, seuque adificium conjugere cum domo alterius vicini, utendo eius muro, & successivè claudendo fenestras ibi existentem, vel potius congruum spatium relinquere teneretur. Et tertio circa ea quae sunt ordinis, an scilicet locus esset nec ne dictae sententiae provisionali privilegia, & executiva, ita ut suspensivam appellationem non admittret.

Quoad primum, cum huiusmodi disputationes habitae fuerint circa initia susceptae Advocacionis in Urbe, atque ista fuerit de primis causis disputatis, quando Curia praesertim in istis praesertim materiis adhuc nova erat, cum eo majori fervore, qui in ingressu in quodcumque institutum haberi solet, acriter instabant in defectu potestatis, cuius ratione non de facili poterant resolvis acquiescere, quamvis tractu temporis agnovissent istud esse parum tamen fundamentum; Unde propterea in quadam alia gravi consimili causa, quae adhuc pender indecisa inter personas nimum qualificatas, & super conspicius adificiis hinc inde, alio defensoribus hoc motum promovere volentibus, ego etiam in contrario teno, quamvis ex aliis fundamentis probabiliora crederem iura se opponentis, seu nuntiantis novum opus.

Dicebam igitur circa hoc, facultatem concedendi loca publica esse de Principi reservatis ad text. in l. 3. §. plane, ff. 5 quod vi aut clam, & l. 2. §. prator ait, ff. de ne qua in loco publico, Angel. in l. illud, §. sed si promiserit, ff. de tit. quod vi, aut clam.